



Mariae Virginis Sacratiss. Miracvlorvm Libri Tres

Vismara, Ercole

Mediolani, 1579

Mirac. Virg. IX. A sacrorum administratione remotum sacerdotem, sibi deuinctum, Virgo restituendu[m] iubet; episcopo, qui eius rei causa fuerat, mortis supplicium comminans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64305)

animum appulit. Eo die, quo celebrandum erat conubium, ipse templum adiuit; & ad Virginem manus extollens, illam orauit, & obtestatus est, ut quas offerebat preces, benignè audiret, atq. exciperet. Ipsa uerò se iratam obtulit; & ita locuta est, egregiam uerò laudem; quàm pulchrè datam fidem praestas? quàm eximiè quae pollicitus fuisti, nunc persoluis? te uni mihi dicaras, & adiunxeras, nunc aliam perfide super ducis? His almae Reginae uerbis auditis erubescens iuuenis, ualde commotus est; & statim, quàm imprudenter faceret, uerè persensit. Domum igitur rediēs, simulansq., cum noua sponsa uelle nuptias perficere, noctu abiit, & ad summae sanctitatis, & spectatae famae coenobium se contulit; uitamq. ibi puram, & castam degit, sub purissima e, & incomparabilis sponsae fide, ac tutela.

MIRAC. VIRG. IX.

A sacrorum administratione remotum sacerdotem, sibi deuinctum, Virgo restituendū iubet; episcopo, qui eius rei causa fuerat, mortis supplicium comminans.

Licet sacerdos quidam multarum piarum animarum custodiae, praeesset; ita tamen erat litterarū imperitus; ut praeter solemneis ritus rei diuinae Deo ad Virginis laudē faciendae, ignoraret, quae minimè desiderāda sunt in tāta dignitate cōstitutis. Ceterum sacrificia facere ad Virginis memoriā lōgo usu & exercitatione didicerat. imperitiae criminis apud episcopū accusatus; ante quàm de se periculū fieret,

fieret, id ipse confessus est; quem ideo episcopus à sacrorum administratione amouit. Sed postero die Virgo in somnis episcopum acriter accusans, uehementer ei minata est; futurum dicens, ut intra triduum moreretur, nisi sacerdotem suum, ad eam dignitatem iterum extulisset; quia seuerè agens illi interdixerat. Episcopus accito sacerdote, cum prius se illi multis uerbis purgasset, eum sacris restituit: sanctumq. & honestum studium rei diuinae ad Virginis laudem Deo faciendae summò opere laudauit; suadens, ne ullo unquam tempore à tantae Reginae cultu abscederet.

MIRAC. VIRG. X.

Clericus non admodum spectatae uitae, paruo momento, Virginis beneficio immortalis, sancto afflatu contactus, sibi sanctam uitae genus instituit.

Licet à uia recti paullulum declinaret clericus; in eo tamen pium institutum inualuerat; ut, dum Virginis laudes canticis recenseret, semper stans, nunquam sedens uisus fuerit. Fortè is, dum noctu somnum cepisset, ante Seruatoris tribunal, horribili infomnio in iudicium uocari uisus est; & ob detestanda flagitia, quibus sese quotidie inficere, & inquinare pergebat, morti damnatus, aeterniq. supplicij poena reus peractus est. Sed lucidissimè coelidecus, piaq. humani generis patrona, quae propè iudicè confidebat, assurgens, ita locuta est. Heu, dulcissime fili, licet te huius miseri uita parum integrè adhuc acta ad iram, atq. odium impulerit, & incitarit; illud tamè
pro